

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dissertationem De Coeliaca Passione, Gratioussimae
Facultatis Medicae Indultu**

Kummer, Johann Gabriel

Basileae, 1709

Thesis IV., V., VI., VII.

[urn:nbn:de:bsz:31-41461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-41461)

T H E S I S I V.

Quoad Synonymiam multa sortitur nomina, aliis enim cœliaca absolute, aliis passio vel affectio cœliaca, aliis alvi fluxus chylosus & morbus ventricularis audit. *Germ. Die Magen-Duhr.*

T H E S I S V.

Præmissâ definitione nominali, ad realem me accingo, & cœliacam passionem definio; quod sit alvi fluxus, in quo cum fœcibus alvinis particulæ chylosæ frequenter excernuntur, excrementis plus minus nunc cinericeis, nunc gryseis vel albicantibus, minusque solidis existentibus, cum subsequenti virium prostratione, vertigine & corporis emaciatione, ab impeditâ chyli à fœcibus alvinis secretione, vel ejusdem distributione in vasa lactea sufflammatâ oriundus.

T H E S I S VI.

Partem igitur affectam dicimus esse intestina tenuia, secus quàm veteres crediderunt, qui ventriculum heic pati existimarunt, quod alimenta in ventriculo in materiam chylosam palpabilem converti statuerunt, cum tamen ista functio intestinis tenuibus propria sit, & alimenta non nisi in materiam fluidam ac turbidam in ventriculo redigantur: hanc meam assertionem veram esse, testatur ipsa experientia, videmus enim quod alimenta in talibus ægris non cruda vel prout erant ingesta, per intestina & alvum delabantur, quemadmodum in lienteria observare licet, sed digesta & soluta, & qui illum perfectionis gradum attigerunt, ad quem in ventriculo, & ex parte etiam in intestinis tenuibus pertingere possunt: item quod taliter affecti non rarò insignem habeant appetitum, præcipue ab initio morbi, id observante Foresto Libr. 22. observ. 26. in muliere, in qua appetitus adhuc fuit salvus, quod certe fieri non potuisset, si vitium gravius hæssisset in ventriculo.

T H E S I S VII.

Generis loco ponimus fluxum alvi, ubi illicò liquet;
affe

affectum hunc inter symptomata recensendum esse, & quoniam hæc triplicia habemus, actionis scilicet, qualitatis mutata, excretorum atque retentorum, præcipuè ad primum, tum etiam tertium illorum, passionem cœliacam referendam esse arbitramur: cum verò omnis actio iterum tripliciter lædi possit, dicimus hac in affectione secretionem chyli à fœcibus alvinis, vel ejusdem in vasa lactea distributionem, vel tantum non aboleri, vel graviter imminui, dum non omnis chylosa portio in vasa lactea recipitur, & propellitur. Neutiquam verò omnem chylum cum fœcibus excidere, sed quoque insignes portiones adhuc dum Massæ sanguineæ (nisi malum gravissimum fuerit) infundi, probant habitus corporis tractu temporis demum consumi incipiens, vires ad deambulandum aliasque actiones perficiendas aliquandiu sufficientes, urina naturali similis, aliaque his affinia. Potest etiam dici symptoma in excretis, quia alvus frequentius, quàm par est dejicitur, præterea tale quid excernitur, quod naturaliter deberet retineri.

T H E S I S V I I I .

Symptoma hoc morbum organicum ut plurimum pro matre agnoscit, videlicet obstructionem ductuum, præprimis bilarii, vel pancreatici, vel glandularum intestinalium, vel coalescentiam heic illic vasculorum lacteorum: ab obstructione supra dictorum ductuum, bilis & lymphæ pancreaticæ in intestinum duodenum influxus necessarius impeditur, sicque separatio utilium ab inutilibus minus ritè procedit: ab obstructione verò vel coalitione vasorum lacteorum, chylus omnis uti deberet non distribuitur, unde fieri aliter nequit, quin vel materia chylosa fœculentæ confusa, vel particula fœcibus alvinis solidiusculis innatantes vel permixtæ excernantur.

T H E S I S I X .

Ut proin in hac affectione chylum ipsum plus minus substantialiter, sive à fœcibus alvinis solutum & separatum, cum iisdem per alvum excerni firmiter afferam, succum nimirum illum lacteum, qui in materiam & fomentum succi nutriticii